

numero, sed est eadem actio ministri, et superioris agentis.

IV. Dico quarto: Medici, et chirurgi non incurrunt irregularitatem etiamsi mors, aut mutilatio infirmi subsequatur, dum tamen adsint duæ conditiones, quarum prima est illos esse peritos in sua arte, et secunda est adhibere sufficientem diligentiam. Si tamen istarum aliqua conditio defuerit fiunt irregulares. Istam conclusionem tenent omnes theologi, et jurisperiti in illo capite Tua nos sæpe citato. Et ratio est manifesta, quia servatis illis conditionibus mors, aut mutilatio sequitur omnino per accidens, et ex altera parte dant operam rei licitæ: ergo non incurrunt irregularitatem: secus tamen est deficiente aliqua conditione. Ista conclusio intelligitur de medicis, et chirurgis sæcularibus, nam clericis, et monachis non est licitum hoc munus exercere, nisi habita dispensatione. Ita colligitur ex illo capite Tua nos.

V. Dico quinto: Alii ferentes exercitium pietatis erga infirmos, si adhibeant sufficientem diligentiam, ne sequatur, aut acceleretur mors, nullam incurrunt irregularitatem, quamvis de facto ex eorum cura, et actione sequatur mors: secus tamen si non adhibeant sufficientem diligentiam, et sequatur, aut acceleretur mors ex eorum actione et cura, sive incuria, incurrunt irregularitatem. Ista conclusio probatur eadem ratione qua præcedens.

VI. Sed circa hæc dicta in isto dubio et alia, quæ supererant dicenda sufficiat regula generalis observanda, quæ est hujusmodi: Quando actio proxime, et per se influat in mortem, sive mutilationem inducit irregularitatem: non tamen si concurrat remote, et per accidens. Et quidem non est censenda causa remota illa, quæ mediatis aliis proximis causis concurrat ad mor-

tem, seu mutilationem, nam judex tamquam causa universalis superior concurrat mediatis aliis proximis causis ad mortem, et tamen manet irregularis: actio igitur illa debet censi remota, cujus effectus omnino terminatur ad alium finem, qui non est mors, aut mutilatio, nec sequitur per se mors, aut mutilatio ex illo fine, ut constat in iudice ecclesiastico dimittente a sua jurisdictione reum, et remittente illum jurisdictioni sæculari. Ex quo fit ut tortores delinquentium, quando in ipsa tortura non moriuntur, nec mutilantur, nec sequitur per se mors, aut mutilatio ex ipsa afflictione torturæ, non manent tortores irregulares; cum tamen maneat irregularis quicumque proferat sententiam mortis. Illi tamen, qui adstant hujusmodi sententiæ non manent irregulares, quia ibi conveniunt per accidens.

VII. Ex dictis sequitur, quod si judex consulat clericum de crimine alicujus malefactoris digno morte, aut mutilatione, poterit clericus sine metu irregularitatis contrahendæ respondere in communi, dicendo tale delictum secundum jus esse plectendum morte, aut mutilatione. Si tamen clericus consulatur in particulari casu, verbi gratia, Petri malefactoris, si ex responsione clerici quasi advocati vices gerentis sequenda foret mors, aut mutilatio manebit irregularis; si tamen absque responsione clerici infligenda erat infallibiliter mors, aut mutilatio, tunc quamvis dicat iudici Petrum esse dignum morte, aut mutilatione, non manet clericus irregularis. Ista doctrina est communis auctorum, et illos refert Stephanus de Avila part. vii, disp. v, dict. ii, dub. vi. Ex dictis etiam colligitur, quod debeat facere confessarius, cui constat, quod pœnitens, verbi gratia judex, cujus confessionem audit,

non vult interficere malefactorem dignum morte secundum jus, tunc enim confessarius licite poterit absque incursione irregularitatis, imo debet dicere iudici: Nolo te absolvere, nisi firmiter proponas punire universos malefactores secundum jus, quamvis confessarius sciat securam esse ex hoc infallibiliter mortem Petri in particulari. Hoc probatur ex illa regula supra posita; unde a fortiori sunt in minori periculo irregularitatis prædicatores, qui sæpe persuadent iudicibus, ut puniant malefactores, et reprehendunt iudices acerrime, nisi id faciant.

ARTICULUS VII.

Utrum laici militantes in bello justo, morte, aut mutilatione subsecuta maneat irregulares?

I. In hoc dubio solum inquirimus de laicis, nam de clericis dicemus in subsequenti, et solum agimus in præsentibus de bello justo, quia de injusto dicemus articulo ultimo. In præsentibus igitur duo supponenda sunt tamquam certa, et alia duo sunt, quæ habent difficultatem. Primo quidem certissimum est, quod quando quis in bello defensivo justo suam etiam propriam vitam defendit, et non solum commune bonum reipublicæ, tunc etiam si per seipsum mutilet, aut occidat, non incurrit irregularitatem, quia expresse excipitur ab illa occidens in defensionem propriæ vitæ in illa clementina Si furiosus, de qua egimus art. i et ii hujus disputationis.

II. Secundo est certum, quod quicumque libere mutilans in quocumque bello, sive defensivo, sive aggressivo, et mutilat, aut occidit per

seipsum, manet irregularis, et dixi si libere mutilat, id est, quando nullum extat præceptum mutilandi. Duo igitur sunt, quæ difficultatem habent. Primum est, an quando quis ex præcepto tenetur debellare, sive in bello defensivo, sive aggressivo propter solum bonum commune sui principis, aut reipublicæ, sive propter defendendam vitam innocentium maneat irregularis, si mutilet vel occidat per seipsum. Circa quam difficultatem aliqui Thomistæ (ut retulimus articulo secundo) tenent partem affirmativam ducti rationibus a nobis ibi propositis, et potissime, quia in illa clementina Si furiosus, solum excusatur ab irregularitate furiosus, aut dormiens occidens, aut mutilans in defensionem propriæ vitæ.

III. Dico tamen probabilius esse, quod militantes in isto casu non incurrunt irregularitatem. Ita tenent plures auctores, quos refert, et sequitur Suarez disput. XLVII, sectione vi, et Stephanus de Avila, ut diximus in illo articulo secundo, ubi ostendimus auctorem istum in hac parte non procedere consequenter. Et fundamentalis ratio hujus conclusionis est, quia, ut ibidem ostendimus, ex sententia jurisperitorum, et theologorum, illa clementina Si furiosus optimis rationibus extenditur ad eximendum ab irregularitate eos, qui occidunt sive mutilant in defensionem vitæ proximi, et bonorum temporalium reipublicæ, quæ sunt maximi momenti.

IV. Secunda difficultas est, an quando qui militat in bello justo, sive defensivo, sive aggressivo, et sequuntur mortes aut mutilationes inimicorum, non tamen per seipsum factæ, sed per alios milites, an tunc incurrat irregularitatem; in qua difficultate communis sententia est inter doctores non incurrere irregularitatem milites, qui ex præ-

cepto principis sunt in tali bello, nec occidunt, nec mutilant, et hoc sequitur a fortiori ex dictis, nam si occidentes in tali casu non fiunt irregulares, multo minus alii. Sed tamen punctus difficultatis stat in hoc, an si isti, nec occidentes, nec mutilantes juvent alios, præbendo eis vires, sive instrumenta, quibus alii ex mala intentione occidunt, quamvis in bello justo ex se, an incurrant irregularitatem isti non occidentes, nec mutilantes.

V. Dico consequenter ad supradicta esse probabilius istos, non incurrere irregularitatem, nisi manifeste illis constet de mala intentione militum occidentium. Id constat ratione pro præcedenti conclusione: quinimo quamvis constet de iniqua intentione, si tamen alias victoria consequi non posset, nisi mediante his militibus iniquis non incurrit irregularitatem, qui his præbet robur, imo nec dux præcipiens illis bellare. Et ratio hujus est, quia tam dux, quam alii adjuvantes, nec occidentes dant operam rei licitæ, utpote justæ defensionis reipublicæ, unde tam mors inimicorum, quam iniqua intentio militum occidentium sequitur omnino per accidens ad bonam, et debitam actionem ducis, et aliorum, ac subinde his nullatenus imputatur mors, nec est eis volita, ac subinde non incurrunt irregularitatem.

ARTICULUS VIII.

Utrum clerici militantes in bello justo incurrant irregularitatem?

I. In hac difficultate quædam præsupponenda sunt tamquam certa. Primum quidem certum est, quod quotiescumque laici militantes incurrunt irregularitatem,

clerici etiam incurrunt illam, et non solum illam, quæ est canonicum impedimentum, sed illam etiam quæ est censura ecclesiastica. Secundo etiam certum est, clericis esse interdictum militare in bello, quando non instat præceptum bellandi obligans illos, quod quidem præceptum raro contingere potest in bello aggressivo, quamvis possit aliquando obligare in bello defensivo, sive sit præceptum positivum, sive naturale, sive divinum, ut statim dicemus.

Tertio etiam certum est, clericos posse de licentia superioris, qui potest illam dare interesse bello, et præsertim propter bonum spirituale militum, videlicet ad sacramenta illis administranda, quod quidem non solum in bello justo, sed etiam in bello injusto (ut aliqui probabiliter existimant) potest licite fieri, quia supposito bello injusto, cui clerici non cooperantur, licitum est illis providere de bono spirituali militibus.

II. Difficultas autem prima est, an in aliquo bello sit licitum clericis militare sine periculo irregularitatis; ratio dubitandi a parte negativa desumi potest ex D. Thoma 2-2, quæst. XL, art. II, ubi absolute negat licere clericis pugnare, quia prohibitum est eis propter statum illorum; ergo ratione hujus prohibitionis si pugnant, incurrunt irregularitatem. In hac difficultate involvuntur duo dubia, aliud, an liceat clericis pugnare, et hoc quidem in præsentem non est a nobis disputandum, quia propriam sedem habet apud D. Thomam in illa quæstione XL, art. II, ubi exacte id tractat magister Bagnes, et alii theologi. Quorum communis sententia est, quod quando instat naturale præceptum bellandi obligans clericos in casu extremæ necessitatis reipublicæ, sive principis, non solum possunt licite, sed tenentur bellare, quia ecclesia-

sticum præceptum prohibens illis bellum nullatenus potest derogare, nec contraire præcepto naturali, aut divino, quo tenentur defendere rempublicam in cujus defensionem licite possunt clerici, et monachi occidere, sive mutilare inimicos si aliter respublica defendi non potest. Quinimo clerici habentes jurisdictionem temporalem possunt ad defendendam illam induere bellum, et multo magis ad defendendam suam Ecclesiam. Aliud dubium est, an in casu præcedentis dubii clerici militantes incurrant irregularitatem; in quo quidem dubio aliqui auctores censent clericos in isto casu incurrere irregularitatem, saltem quæ est canonicum impedimentum, a qua solum excusantur, quando aliter vitam propriam defendere non possunt, nisi occidendo, aut mutilando inimicos.

III. Dico tamen clericos in isto casu occidentes, sive mutilantes nullam incurrere irregularitatem. Ista conclusio, quantum spectat ad irregularitatem, quæ est censura ecclesiastica, necessario debet admitti ab omnibus. Et ratio convincens est, quia in illo casu non currit præceptum ecclesiasticum prohibens clericis bellum, si quidem instat præceptum naturale bellandi; ergo cessat omnino pœna irregularitatis, quæ est censura ecclesiastica. Probatur consequentia, quia ista irregularitas solum potest incurri propter transgressionem præcepti ecclesiastici. Quantum tamen attinet ad irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum, etiam debet esse certum apud omnes, quod si clerici jam constituti in bello aliter non possunt defendere vitam propriam, nisi occidendo, aut mutilando inimicos, non incurrunt irregularitatem, ut constat ex clementina Si furiosus.

IV. Tota igitur difficultas est

quando clerici solum in defensionem reipublicæ occidunt inimicos. Et dicimus probabilius esse clericos non incurrere irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum. Ita tenent plures auctores, quos refert, et sequitur Suarez disputatione XLVII, sectione VI. Et ratio est, quia (ut jam probatum reliquimus in superioribus articulis hujus disputationis) illa clementina Si furiosus extendit se ad excusandum ab irregularitate illos, qui in defensionem vitæ proximi, et boni communis reipublicæ occidunt alios; sed quantum ad hoc est eadem prorsus ratio de clericis, ac de laicis; ergo. Ad rationem dubitandi factam respondetur, quod D. Thomas non loquitur in casu, quo obligat præceptum naturale, sed ex vi præcepti ecclesiastici.

V. Difficultas secunda est, an liceat clericis in bello exhortari milites ad strenue pugnandum contra inimicos. Et ratio dubitandi a parte negativa desumitur ex capite Quod in dubiis de pœnis, ubi interdicitur hoc clericis. Et ratio potest esse, quia talis exhortatio immediate ordinatur ad occisionem inimicorum faciendam a militibus; ergo ad illam cooperantur clerici exhortando; ergo incurrunt irregularitatem.

VI. In hoc dubio certum est, quod ante pugnam in bello justo licitum est clericis istam exhortationem facere sine periculo irregularitatis. In ipsa autem actuali pugna consistit punctus difficultatis, quia tunc illa exhortatio est actio immediate tendens ad occisionem, et ideo censent aliqui clericos incurrere irregularitatem. Sed tamen probabilius est oppositum, quia illa actio ex se solum ordinatur ad victoriam obtinendam, mors autem sive mutilatio sequitur per accidens; unde non fiunt clerici irregulares. Nihilominus non est licitum eis dicere: Oc-

cidite inimicos, sive mutilate, quia tunc clerici incurrunt irregularitatem. Ita sentiunt communiter doctores, et hoc convincit ratio dubitandi proposita. Præterquam quod caput illud citatum solum procedit de bello injusto, advertendum tamen est, quod resolutio hujus dubii non solum habet verum quando clerici ex præcepto naturali tenentur bellare, quia in hoc casu nulla est difficultas, quin possint exhortari sine irregularitate, si quidem possunt occidere; sed procedit nostra doctrina, quando ex licentia superioris clerici sunt in bello, etiamsi nulla instet necessitas, nec obligatio præcepti naturalis.

VII. Difficultas tertia, an clerici militantes in bello justo contra prohibitionem Ecclesiæ, exhortando milites, et simul belligerando, si tamen nulla sequatur mors, nec mutilatio facta a clericis, nec ab aliis militibus, maneat clerici irregulares. Partem affirmativam tenent aliqui, et probant, quia clerici tunc intromittunt se in causam sanguinis.

VIII. Dico tamen in isto casu probabilius esse clericos nullam incurrere irregularitatem. Et probatur, quia illa nunquam incurritur secundum jus, nisi morte, aut mutilatione subsecuta de facto, vel gravissima percussione facta ab ipso met clerico (ut diximus disputatione prima, articulo secundo) ergo nisi hoc interveniat clericus non incurrit irregularitatem.

IX. Difficultas quarta est, an clerici militantes contra prohibitionem Ecclesiæ in bello justo incurrant irregularitatem si contingat occisio, seu mutilatio facta non ab ipsis clericis, sed ab aliis. Partem affirmativam tenent auctores, quos refert Suarez disput. XLVII, sect. vi, quorum fundamentum est, quia clerici in isto casu intromittunt se in cau-

sam sanguinis, et cooperantur ad illam contra prohibitionem Ecclesiæ; ergo incurrunt irregularitatem, quæ est censura ecclesiastica posita in pœnam contra illam prohibitionem.

X. In hoc dubio primo certum est in omnium sententia, quod si clerici tunc adjuvant occisores, sive mutilantes exhortando, sive præbendo eis robur, sive simul pugnando cum illis, incurrunt irregularitatem. Et hoc probat manifeste fundamentum illorum auctorum. Punctus autem difficultatis consistit in hoc, an ex eo, quod clerici intersunt bello contra prohibitionem Ecclesiæ, quamvis nihil aliud faciant, nisi sacramenta militibus ministrare, incurrant irregularitatem. Dico igitur probabilius esse clericos in isto casu nullam incurrere irregularitatem. Et probatur, quia tunc solum incurrunt illam, quando contra prohibitionem Ecclesiæ intromittunt se in causam sanguinis effectum subsecuto ex vi actionis clericorum; hoc autem non contingit in præsentī casu, quia longe abest ministratio sacramentorum, et alia hujusmodi a morte, sive mutilatione injuste facta a militibus. Ita tenent plures auctores, quos refert, et sequitur Suarez ibidem.

XI. Sed inquire, utrum militantes in bello injusto tam clerici, quam laici, ubi nulla intervenit occisio, nec mutilatio, incurrant irregularitatem. Dixi in hoc dubio, ubi nulla intervenit occisio, nec mutilatio, quia si illa interveniat certum est universos illius cooperatores incurrere irregularitatem, et ideo clerici existentes ibi, vel sine licentia prælati, vel si cum illa exhortentur milites, aut præbeant illis robur, manent irregulares, quia dant operam rei illicitæ, et de facto sequitur effectus; unde quamvis nihil aliud faciant, nisi ministrare sacramenta,

sine licentia tamen prælati ad existendum in bello dant operam rei illicitæ, utpote existere in bello injusto, et contra prohibitionem Ecclesiæ, ac subinde incurrunt irregularitatem morte, aut mutilatione subsecuta, et a fortiori si cooperantur ad illam; et magis certum est, incurrere irregularitatem laicos cooperando in isto casu. Punctus igitur difficultatis consistit, quando nulla sequitur mors, nec mutilatio. Et quidem non desunt auctores, qui dicant clericos incurrere irregularitatem, et contendunt probare ex pluribus capitibus juris, quamvis laici non incurrant talem irregularitatem.

XII. Dico tamen in isto casu clericos nullam incurrere irregularitatem, et a fortiori nec laicos. Et probatur, quia quantumcumque clerici dant operam rei illicitæ, et contra prohibitionem Ecclesiæ, nihilominus de facto nulla secuta fuit mors, nec mutilatio; ergo nullatenus incurrunt irregularitatem; unde nulla sunt capita juris, quæ oppositum hujus decernant, quia illa manifeste procedunt, quando de facto sequitur effectus mortis, sive mutilationis. Legatur Suarez in illa disputatione XLVII, sect. v, et Stephanus de Avila, p. VII, disp. v, sect. III. Et hæc de ista quæstione.

DISPUTATIO XV.

DE IRREGULARITATE, QUÆ CONTRAHITUR PROPTER HOMICIDIUM CASUALE.

I. In hac disputatione ante omnia supponendum est posse esse duplex homicidium casuale, nam alterum est tale secundum rigorem metaphysicum, et alterum secundum

juris dispositionem, etenim cum quis vult causam per se, ad quam regulariter tantum, non tamen per se, et necessario sequitur homicidium, si tamen illud sit prævisum, non tamen per se intentum, nec per se volitum, sed intendatur alius finis, tale homicidium secundum rigorem metaphysicum non est casuale, sed voluntarium. Cæterum secundum dispositionem juris illud censetur casuale, quia juxta dispositionem illud homicidium censetur voluntarium, quod per se comparatur ad voluntatem, ut satis diximus disputatione secunda hujus tractatus, articulo primo.

II. Secundo supponendum est, quod in præsentī agimus de omni homicidio secundum juris dispositionem casuale, et illud quidem comprehendit homicidium, quod secundum rigorem metaphysicum censetur voluntarium, quamvis non sit voluntarium secundum juris dispositionem, quantum attinet ad incurrendam irregularitatem, quia isto modo illud solum homicidium dicitur voluntarium, quod per se comparatur ad voluntatem, ut ibidem diximus. Tertio supponendum est, quod homicidium casuale secundum juris dispositionem potest dupliciter contingere. Primo modo, ex eo quod quis exercent aliquam positivam actionem, non adhibendo sufficientem diligentiam, ne ex illa sequatur homicidium: alio modo, per puram omissionem ex eo quod quis non exercet actionem, quam tenetur exercere ad defensionem, sive conservationem vitæ alterius. Et quidem circa homicidium primo modo subsecutum non apparet ita ingens difficultas, an incurratur, sicut apparet in homicidio subsecuto secundo modo, et ideo de isto prius disputandum erit.